DE

IVRE VENANDI PER MODVM SERVITVTIS IVRIS PVBLICI IN TERRITORIO ALIENO EIVSQVE VSV ET ABVSV

INDVLTV

MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

IN ALMA ALTORFINA

PRO LICENTIA

SVPREMOS IN VTROQVE IVRE

CONSEQVENDI HONORES

D. III. DECEMBR. A. R. S. CIↃIↃCCXXXXVIII

PVBLICE DISPVTABIT

IOANNES CAROLVS PETRVS

BONHOEFFER,

HALA SVEVVS.

ALTORFII

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. R. I.

ILLVSTRIS AC LIBERAE REIPVBLICAE

SVEVO-HALENSIS

VIRIS

ILLVSTRIBVS GENEROSIS MAGNIFICIS
EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS CONSVLTISSIMIS
AC PRVDENTISSIMIS

DOMINIS

CONSVLIBVS

IOANNI FRIDERICO
BONHOEFFERO

H. T. REGENTI

IOANNI LAVRENTIO
DE IEMGVMER CLOSTER

QVINQVEVIRIS

CONSILIARIIS

CAETERISQVE

SENATORII ORDINIS
ADSESSORIBVS GRAVISSIMIS

Digitized by Google

PATRIBVS PROCERIBVSQVE PATRIAE

OPTIMIS

AC

IMMORTALITER MERITIS

DOMINIS

PATRONIS AC PROMOTORIBVS

RELIGIOSA OBSEQVII PIETATE AD CINERES SVSPICIENDIS

DISSERTATIONEM HANCCE INAVGVRALEM

SVBMISSO ANIMI CVLTV CONSECRAT

TANTORVM NOMINVM

OBSEQVENTISSIMVS AC DEVOTISSIMVS CLIENS

IOANNES CAROLVS PETRVS BONHOEFFER.

Digitized by Google

DE

IVRE VENANDI

PER MODVM SERVITVTIS IVRIS PVBLICI IN TERRITORIO ALIENO, EIVSQVE VSV ET ABVSV.

§. I.

SI in naturam iurium regalium, quae Imperantibus ad ſalutem et ſecuritatem reipublicae tuendam competunt, paullo adcuratius inquiramus; ita illa comparata eſſe videmus, vt alia ad ipſam reipublicae adminiſtrationem et imperantis dignitatem ſpectent, iunctimque ſumta eſſentiam ſummi imperii con-

Digitized by Google

conſtituant, alia autem in ſubſidium huius administrationis, principis vtilitatem atque fauorem reſpiciant; quorum illa maiora, haec minora vocantur.

§. II.

Maiora ſeu maieſtatis regalia quum oſſibus imperantis ita inhaereant, vt ſine illis maieſtas aut ſuperioritas nec fingi quidem poſſit; tantum certe abeſt, vt ſalua ſupremitate ab imperante auelli queant, vt potius, ſi ille in alium imperantem eiusmodi maieſtatis iura transferat, eo ipſo etiam imperii eumdem reddidiſſe participem cenſendus ſit; et hic non tam ius quoddam ſeruitutis, quam potius ipſum territorii Condominium ratione huius iuris ſit adeptus.

§. III.

Alia plane regalium minorum eſt indoles. Haec enim licet cum ipſo imperio tanquam partes iure proprio in principem transeant, ita vt ratione illorum fundatam ſemper habeat intentionem; eiusmodi tamen ſunt naturae, vt ſalua ſumma poteſtate cum aliis poſſint communicari. Quum enim principis potiſſimum vtilitatem atque fauorem concernant, (§. I.) vt ſcilicet dignam ſua praerogatiua habeat fortunam; nil certe impedit, quo minus princeps huic ſuo fauori renunciare, aliisque horum regalium exercitium concedere queat. 1.) Nec tamen vllum ſuperioritati praeiudicium inde accedet.

1.) Conſ.

1.) Conf. Excell. Dn. SCHIERSCHMIDII, Patroni et praeceptoris aetatem colendi, Elem. iuris ſoc. et gent. §. 510. Cor. 7.

§. IV.

His, quae in §. praeced. aſſerui, ipſa imperii R. G. praxis, eaque frequentiſſima, teſtis accedit. Nullum enim fere reperias territorium, quod non iuribus eiusmodi in alieno territorio gaudeat. Quum ergo haec iura non neceſſario cum ſummo imperio cohaereant nexu, (§. III.) me etiam tacente omnes intelligent, nil plane eminentiae imperantis, in cuius territorio alteri eiusmodi regale quaeſitum eſt, decedere, multo minus a iuris huius in alieno exercitio ad ſuperioritatem inde etiam competentem, poſſe concludi, quum ſic a diuerſis ad diuerſa, inuita Themide, fieret illatio, ceu magni nominis quondam in hac academia ICtus, B. HILDEBRANDVM puto, 1.) dedit demonſtratum. Nec enim iura eiusmodi ſingulari titulo quaeſita, aliter quam per modum ſeruitutis competunt, recte hinc a ICtis nomine ſeruitutum iuris publici inſignita. Inconcinnum autem foret, ſi ENGELBRECHTII 2.) verbis vti liceat, ei qui ius ſeruitutis in alieno praedio habet, ideo dominium ſingulare velle tribuere.

1.) in Diſſ. De iure regali in alieno territorio ſuperioritatem non inferente.

2.) in libro ſingulari: De ſeruitutibus iuris publici. Proleg. §. 8.

§. V.

Quum vero regalia vi ipſius iuris territorialis tituloque vniuerſali ad ſolum imperantem ſpectent, (§. III.) certe nemo in ipſius territorio eiusmodi iuris exercitium ſibi arrogare poteſt, niſi qui vel pacto

expreſſo

expreſſo conſenſu inito, vel conceſſione tacita per praeſcriptionem inducta, vel denique priuilegio, id iuris ſibi quaeſitum eſſe, poſſit docere. 1.) Equidem quod ad vltimum ſeruitutes iuris publici conſtituendi modum attinet, privilegia ſcil. imperatorum, ille antiquioribus ſaltem temporibus, quibus ſolutior erat imperatorum poteſtas, locum ſibi vindicauit, quare plures adhuc hodie ſeruitutes illis nituntur; verum enim vero quum arctioribus nunc caeſareum imperium circumſcriptum ſit limitibus; non amplius illos territoriorum dominis per eiusmodi priuilegia derogare poſſe, ex ipſis capitulationum verbis patebit. 2)

1) Vid. Illuſtris Dn. MASCOVIVS, Patronus et praeceptor ad vrnam omni pietate ſuſpiciendus in principiis iuris publ. L. VI. cap. I. §. 16.

2) V. Capitul. nouiſſ. art. 1. §. 9. Vbi imperatores ita promittere debent: ſollen und wollen auch Churfürſten Fürſten und Ständen, (die unmittelbare freye Reichs-Ritterſchaft mit eingeſchloſſen,) ihre regalien, Obrigkeiten, freiheiten, priuilegien, die vor dieſem unter ihnen denen Reichs-Conſtitutionibus gemäß gemachte vniones, zuforderſt aber die unter Churfürſten, Fürſten und Ständen aufgerichtete Erb-Verbrüderungen, Reichspfandſchaften, (ſo wie dieſerhalben in dem Inſtrumento pacis Verſehung geſchehen) Gerechtigkeiten, Gebräuch und gute Gewohnheiten, ſo ſie bißhero gehabt, oder in Übung geweſen, zu Waſſer und zu Land auf gebührendes Anſuchen, ohne Weigerung und Aufhalt, in beſtändiger Form confirmiren, ſie auch dabei als Römiſcher König handhaben und ſchützen, und Niemanden einig Priuilegium darwieder ertheilen.

§. VI.

Ex pacti igitur verbis, conceſſionis formula aut modo praeſcriptionis haec iura in alieno territorio con-

conſtituta omnem ſortiuntur vim ac efficaciam. Nec enim vltra pacti priuilegiiue tenorem, nec vltra pos-ſeſſionis praeſcriptae terminos quid competit, quum tantum praeſcriptum intelligatur, quantum poſſeſſum. Si autem dubia ſubſint verba, incertique praeſcripti-onis limites; tunc ſane ex ipſa ſeruitutis natura, quam quidem negotii indoles et ſublimis territorio-rum ſtatus admittit, nec non ex regalium habitu res vnice dirimenda videtur atque diiudicanda.

§. VII.

Scilicet illi cui ſeruitus debetur, omnia liceant, neceſſe eſt, ſine quibus vel nullus vel non commo-dus eſt ſeruitutis uſus; nec ius illi quaeſitum tolli, impediri aut deterius reddi vllo modo a concedente poteſt; 1.) quum qui fine vult potiri, mediis ex fine determinatis illique conſequendo ſufficientibus deſti-tui nequeat. Pari ratione dominus territorii domi-nantis duriorem reddere ſeruientis territorii conditio-nem, iureque ſuo in praeiudicium ſeruientis liberrimo arbitrio abuti neutiquam valebit; quia ex libertate rerum praeſumtiua ſeruitutes illam reſtringentes, non niſi ſtrictiſſimam recipiunt interpretationem. 2.) His accedit, quod regalia ipſa, tamquam obiectum harum ſeruitutum, quum in illis concedendis parcis-ſimus praeſumendus ſit imperans, communi inter-pretum ore nullam plane admittant extenſionem; nec ab vno regali ad aliud vel diuerſi vel eiusdem ge-neris fieri poſſit illatio. 3.)

1.) L. 13. ff. §. 1. de S. R. P.

2.) KLOCK. de Contribut. C. III. n. 184. et 185.

3.) DE GOEBEL in Diatr. de iure Venandi §. 3. n. 2.

Digitized by Google

§. VIII.

Liberiorem nunc ſpero ad ſpecialiora fore aditum. Quare, ne moras nectam, ad ipſam thematis: De iure venandi per modum ſeruitutis iuris publici in territorio alieno eiusque uſu et abuſu, pertractationem progrediar; id omni opera acturus, vt ea, quae nunc deducam, quantum quidem per vires datum eſt, et principiis modo praemiſſis, et argumentis ex ipſa rei indole depromtis, rite ſuperſtruantur.

§. IX.

Praeiudicialis primum diſquiſitio eſſet diſcutienda, an ius venandi tamquam effectus ſuperioritatis territorialis ad imperantis iura excluſiue ſit referendum? Actum agerem, ſi pugnam pro regalitate venationum, ab aliis feliciter iam depugnatam, denuo eſſem ſubiturus. Quamuis enim haud pauci ICti in eo multi fuerint, vt ius venandi ſpecioſis argumentis pro iure adnexoque fundi ventilarent; plures tamen non inferioris ſubſellii viri ſtrenue imperantium egerunt cauſſam, quos inter celeberrimus ille Cellenſium ICtus DN. LVBBE 1.) omnium longe ſuperauit induſtriam, qui, excuſſis diſſentientium argumentis, ad exſtirpandum venandi ius ex regalium numero compoſitis, operoſa eruditione ac felici ſucceſſu veriorem pro regali venatus ſententiam dedit ſtabilitam. Quum ergo iure optumo maximo imperantes ſibi ſolis ius venandi vindicauerint, nemo certe illud ſibi arrogare poteſt, niſi qui ſpeciali titulo a principe ſibi illud conceſſum, aut ſingularibus prouinciae moribus aliud receptum eſſe, probare queat. (§. V.)

1.) in

1.) in ſcripto, cui tit. Gründliche Bewährung des Sr. Königl. Majeſtät von Gros-Brittannien ꝛc. in dem Herzogthum Lüneburg zuſtehenden Jagd-regals. fol. 1731.

§. X.

Quum reditus ex venatu principis vtilitatem fiſcique emolumenta augeant, et ſic venatio in numerum regalium minorum veniat referenda, (§. I.) haec autem ſalua ſuperioritate in alium conferri queant; (§. III.) ſequitur quod princeps ſalua ſua eminentia ius venandi aliis indulgere queat. Porro quum ex antea dictis conſtet, regalia in alieno territorio quaeſita per modum ſeruitutis iuris publici competere, (§. IV.) exinde tuto inferre licebit, quod ius venandi imperanti in alterius territorio quaeſitum ad modum ſeruitutis competat. Sub hoc igitur reſpectu, et quatenus praeſertim pertractationis meae obiectum conſtituit, venatio eſt ius territorii domino competens, feras in certo alieni territorii diſtrictu vagantes perſequendi et occupandi.

§. XI.

Ius venandi in alieno ſola ferarum perſequutione et occupatione abſoluitur, (§. X.) vnde patet, quod diuerſum plane ſit a venatione ius foreſti non ſolum, ſed etiam bannum ferinum. Ius foreſti quippe eſt regale, vi cuius imperans omnia ordinare poteſt, quae ad ſiluarum et ferarum conſeruationem ſpectant. Differt ergo vt totum a parte a venatione, quum praeter hanc et omnia alia iura, ad ſiluarum cuſtodiam ac conſeruationem facientia, ſuo ſub ambitu complectatur. 1.) Non autem patitur inſtituti ratio, vt horum amplitudinem exhauriam, quin tuto me huic labori ſuper-

perſedere poſſe perſuaſus ſum, quia praeter alios Excell. DN. STISSER iam in eo mihi fecit otium, lateque ſuperioritatis foreſtalis effectus eſt proſequutus. 2.) Nunc autem quum ab vno regali diuerſo ad alterius competentiam non poſſit concludi (§. VI.) in aprico erit, quod nec a iure venandi ad ius foreſti vllo modo argui queat.

1.) DE GOEBEL de iure venandi §. 2. lit. d. et DN. WOLFART De eo quod in Germania iuſtum eſt circa bannum ferinum in alieno territ. adquiſitum.

2.) in libr. Forſt- und Jagd-Hiſtorie der Teutſchen cap. 6. §. 22. ſeqq.

§. XII.

Ad bannum ferinum autem quod attinet, in eo a iure venandi abit, quod ius prohibendi venationes puniendiue venantes in diſtrictu eiusmodi foreſtato, et nonnunquam etiam ius ſiluam cingendi ſub ſe comprehendat. 1.) Plus ergo inuoluere bannum ferinum, quam ius venandi, inde colligi poteſt. Hoc enim qui exercet, feris libertatem huc illuc vagandi relinquere debet; aſt per circumſeptionem ſiluae ferae includuntur, multoque deterior fit ſeruientis conditio, quum hoc facile vel domino fundi, vel tertio, cui ius paſcendi, lignandi ſimileue ius in ſilua competit, graue adferat praeiudicium. Quare nec a iure venandi ad bannum ferinum iusque cingendi, quia ſpeciale ac ſeparatum ius eſt, argumentum ducere licet. Praeſertim quia venatio etiam absque hoc adminiculo canibus retibusque aeque commode peragi poteſt. Sed regulariter hoc ius imperanti, ceu foreſti domino, competit, nec niſi ſpecialiter quaeſitum in alterum tranſit. Ex quibus luculenter conſtabit, paroemiam illam:

Wer

Wer darf jagen, darf hagen, vnice ad dominum territorialem eſſe reſtringendam. 2.)

1.) BEIER in Delin. iur. Germ. L. II. c. 3. §. 2.

2) DN. ERTEL in praxi aure a L. II. cap. 34. Obſ. 2. HERTIVS Paroem. L. II. p. 17. §. 1.

§. XIII.

Ipſa autem venatio in duas abit ſpecies, ſuperiorem ſcil. et inferiorem, quibus in nonnullis prouinciis accedit media. Quodſi ergo in genere venatio ſit conceſſa, tunc non niſi inferiorem competere, et ipſa ſtrictiſſima regalium conceſſorum interpretatio docet, et praxis Germaniae, cui ICtorum adplaudit chorus, confirmat. Nec igitur ſub conceſſione generali iuris venandi, alterius territorii domino facta, ſuperior venatio ſimul indulta cenſetur, niſi concedens ſpecialem illius fecerit mentionem; 1.) praeſertim cum in concedendo aliis venationum iure difficiles eſſe ſoleant territoriorum domini. Pari ratione ſi ſuperior venatio expreſſe alicui conceſſa eſt, inferior eo ipſo excluſa cenſetur, quia pacta vltra expreſſa contrahentium verba non ſunt extendenda; ob quam ipſam rationem regula illa: quod, cui plus licet, eidem etiam minus permiſſum ſit; omne hic ſuum perdat officium, neceſſe eſt.

1.) MAIER de iure venandi C. XIII. th. 3.

§. XIV.

Modus a contrahentibus expreſſus praeciſe eſt ſeruandus. Varii quippe ratione temporis, inſtrumentorum et ferarum capiendarum praeſcribi ſolent limites, quibus, ſi controuerſia oriatur, vnice eſt inhaerendum. Deficiente autem pacto expreſſo ipſa natura

venationis, quae vltra vſum neceſſarium et conſuetum non eſt extendenda, ſaniorisque interpretationis regulae, hanc vtendi rationem determinant. Quotiescunque igitur alter ex paciſcentibus vel plus iuris, vel aliud plane ius, ac in conuentionem deductum eſt, ſibi arrogat, ſicque contra legem contractus quid ſuſcipit, toties iure ſuo dicitur abuti. Committitur hic abuſus tam a parte dominantis quam ſeruientis. Vt autem eo diſtinctius procedam, nunc per partes eundo oſtendam non ſolum, quae iura praecipua domino ſiluae, quae domino venationis vindicanda ſint, ſed etiam, quibus modis vterque iure ſuo abutatur, exponam.

§. XV.

Dominus ſiluae faciem fundi in praeiudicium eius, qui ius venandi in illa habet, mutare nequit, ſed ita illa vti debet, vt ſeruitutem nulla ratione reddat deteriorem. Nec ergo grandes annoſasque arbores cumulatim caedere illi permiſſum, quum ſic, deſtructis tenebroſis latibulis, ferae illis adſuetae, fugentur aliumque fundum quaerant. Multo minus totam ſilvam radicitus euertere, et ad culturam redigere licebit; ſic enim vniuerſum ius venandi vno quaſi ictu plane interuerteretur. BESOLDVS I) quidem diſtinguendum eſſe putat, an alteri pacto expreſſo ius venandi ſit adquiſitum, an vero per praeſcriptionem; et hoc poſteriori caſu licite proprietarium nemora exſtirpare poſſe, ſibi perſuadet. Aſt non arridet mihi haec philoſophia, ſed negatiuae fortiori iure adiiciendus videtur calculus. Si enim verum eſt, taciti eamdem vim eſſe, quae expreſſi, ſi eamdem pacta tacito conſenſu inita producunt obligationem, quam

qui-

quidem pacta expreſſo conſenſu munita; certe ius alteri per praeſcriptionem ſemel quaeſitum, ſine facto ſuo, nullo colore tolli poterit, aut diminui. Quapropter etiam in Celſiſſima Camera imperiali indiſtincte, ſi per eiusmodi deuaſtationem ſiluae damnum irreparabile domino venationis immineat, mandata ſine clauſula decerni, GAILIVS teſtatur, 2.) ceu factum refert in cauſſa Comitis a Zollern contra Comitem a Furſtenberg, vbi ita pronunciatum: Dann ſolches unziemliches Baum Abhauen haben die proprietarii allein beſcheidentlich oder pfleglich, und mit einer ſolchen Maaſe zu thun, damit die Wildfuhren nicht verderbt werden ꝛc. ꝛc. Et hoc adeo verum eſt, vt ſi de facto foreſtum eiusmodi in prata agroſque redigatur, dominus venationis vel decimas propter intereſſe damni emergentis poſtulare, vel ad id agere poſſit, vt eiusmodi noualia inculta relinquantur, inque ſiluam iterum conuertantur; Et ita in Auguſtiſſ. Dicaſterio Aulico iudicatum eſſe, ab Excell. BECKIO 3.) didici.

1.) P. I. Conſ. 15. n. 36.

2.) Lib. II. Obſ. 67. n. 8.

3.) in tract. de iurisdictione foreſtali Cap. VIII. p. m. 136.

§. XVI.

Sic vero parum aut nihil lucrabitur proprietarius ſiluae, quum tamen inter primarios ſuperioritatis foreſtalis effectus ius lignandi ſit referendum? Minime gentium! Poteſt omnino ligna caedere ad comburendum, aedificandum, quid quod etiam quaeſtum inde facere, aliaue ratione ſuos in vſus convertere non prohibeatur; modo ciuiliter hoc ius exerceat; quum alias inutilis plane iaceret proprietas, dominusque ſortem nanciſceretur uſufructuarii deteriorem. Vt

autem

Digitized by Google

autem modus in caedendo eo melius poſſit ſeruari, inter ſiluam caeduam et non caeduam diſtinguere iuuabit. Silua caedua, Laubholz, Hauiger Wald, iuxta SERVIVM 1.) eſt illa, quae ſucciſa ex ſtirpibus aut radicibus facile renaſcitur. Non caedua ſilua, ein hoher Wald, Baum-Wald ex grandibus arboribus, quaeque ramis diffuſae ſunt, conſiſtit, quae ſi caedantur, vel numquam, vel ſaltem longiſſimo demum temporis interuallo ſuccreſcunt. In illa non adeo parcum agere debet patremfamilias, ſed caedere poteſt ligna non ſolum in proprios uſus, ſed etiam ad quaeſtum inde capiendum, modo id abſque dolo malo agat, quum ſic ſiluam, quae alias vaſtitate fieret deterior, praeſertim vbi virgulta denſiora ſunt, excolat magis quam deſtruat. Curare tamen debet foreſti dominus, ut in loco, vbi ligna ſucciſa ſunt, arbuſculis renaſcentibus per quatuor minimum annos, biß ins vierdte Laub, parcatur, pecudesque a paſtu inde arceantur. In hac vero moderate tantum iure ſuo vti, lignaque propriae ſolum neceſſitati inſeruientia caedere poſſe DD. eſt ſententia. 2.) Ex hiſce liquet, quod lignatio ex ſiluae diſtantia ac magnitudine, dominique rebus domeſticis proportionate ſit dimetienda.

1.) L. 10. ff. de V. S.

2.) ERTEL in praxi aur. L. II. c. 34. Obſ. 3. EIVSD. Obſeru. illuſtr. iurid. equeſtres Obſ. XI.

§. XVII.

Pariter in ipſo venationis exercitio proprietarium turbare non poſſe venationis dominum, extra dubitationis aleam poſitum eſt. Turbaret autem illum, ſi tempore foeturae ferarum ligna caederet, 1.) ſi

bom-

bombardas in ſilua exploderet, aut canes immitteret; quum ex bombardarum ſonitu canumque latratu diſturbatae ferae, relictis priſtinis luſtris, in aliena receptacula confugiant, aut a canibus dilacerari iuuenculae praeſertim queant. Quare dominus ſiluae id etiam ſubditis ſuis iniungat neceſſe eſt, vt canibus ſuis moloſſisque fuſtes alligent; ne, ſi nemora maxime vicina ſunt, in illa excurrant, ſicque venationi damnum inferant.

1.) BECK de iuriſd. foreſt. C. 9. §. 1.

2.) ID. lib. cit. c. 14. §. 6.

§. XVIII.

Quemadmodum autem is, qui venationem exercet, ſalua ſua iura cupit; ita etiam nec in ſuperioritatis foreſtalis iura tuto poterit inuolare. Delabor nunc in praecipuos, quibus ſiluae venatoriae dominus gaudet, effectus, ius ſcil. glandis legendae fructuumque ex ſilua percipiendorum. Quum ſcilicet ad proprietarium fundus ſpectet, arboresque eidem adhaerentes, non poteſt non inde ſequi, quod etiam fructus, tamquam pars arboris, vnice foreſti domino, minime autem illi, qui ius venandi in ſilua poſſidet, ſint adiudicandi. Poteſt ergo dominus ſiluae, eodem iure, quo ligna illi caedere licet, etiam glandes omnesque alios fructus ſilueſtres ſub illis comprehenſos, decutere maturos, iacentes colligere, et omni modo pro arbitrio ac neceſſitate illis vti; adeo quidem, vt ſine illius conceſſione nemo de illis participare queat; nec propter ſolum venandi ius etiam glandis legendae facultas ſtatim conficiatur. Spernas enim omnia argumenta, aſt vel ſolas aequi-

tatis naturalis regulas inſpicias, et reperies, maxime contrarium huic eſſe, ſi dominus in proprio ſolo fructibus ex arboribus fundi natis gaudere non debeat, ita vt ſine his nil niſi inutilis penes illum remaneret proprietas. 1.)

1.) Conf. RICCIVS von der in Teutſchl. üblichen Jagd-Gerechtigkeit C. III. §. 6. ERTEL obſ. illuſtr. iur. equ. Obſ. XII. BECK. de iurisd. foreſt. c. 8. §. 4. MOR de iure Ven. P. II. c. 3. n. 23. et inprimis etiam HEVSERI tract. De eo quod iuſtum eſt circa ius Glandis legendae.

§. XIX.

Equidem in omnia alia quosdam abire me non latet. Chorum diſſentientium ducit PRVCKMANNVS 1.) qui in dubio fructus ſilveſtres venanti in alimenta ferarum priuatiue vindicare conatur, hac ductus ratione, quod ferae, ſi fructus omnes illis auferantur, breui fame perirent, ſicque venationis exercitium vna cum illis exſtingueretur; cum alimenta denegans necare videatur. Ex quibus nunc infert, quod conceſſa venatione etiam reliqua conceſſa intelligantur, ſine quibus illa exerceri nequeat. Verum imbecillo admodum haec ſententia dudum exploſa nititur talo, nec niſi carnis ferinae amatorem habebit adſtipulantem. Ex falſo enim principio, quod fructus ſilueſtres in vſum ferarum tantum ſint conditi, non potuit non falſa deduci concluſio. Quis enim eſt, qui neſciat, quod ferae etiam in locis plane ſterilibus, vbi nec glandes nec alii fructus naſcuntur, lubenter degant, et optimum pabulum ex graminibus herbisque ſibi quaerant, 2.) Mitiorem reddere hanc opinionem ſtuduit NOE MEVRER 3.) qui permittendum pro-

proprietario autumat, vt certum porcorum numerum ad paſtum ſiluae glandiferae immittat, daß er eine gewiſſe Anzahl ins Geäckerich mit einſchlage. Ab hac non multum abludit HARPPRECHTI 4.) ſententia, qui reliquum fructuum, quod ferae non comedunt, proprietario adſcribit. Sed anguis ſub herba latet, neutrique ſubſcribi poteſt. Peſſime ſane proprietario conſultum eſſet, ſi, quod iure proprio ipſi debetur, ab alterius benignitate exſpectare deberet, aut ſi id ſaltem fructuum quod ex paſtura ferarum ſupereſt, vſibus ipſius cederet. Sic enim aut nullum aut ſpernendum lucrum in ipſum redundaret. Quibus ita comparatis non video, quare proprietarius cum praeiudicio ſuo alterius inſeruire debeat voluptati, quum ius glandis legendae ex fortiſſimis rationibus, ſupra adductis, excluſiue ad illum ſpectet. Praeferenda igitur proprietarii vtilitas, praeſertim quum ius venandi in alieno pro materia ſubſtrata iure ſeruitutis competat, haec vero ſtrictiſſimae ſit interpretationis; nec vltra ſuam indolem extendenda. Et inde iamiam ſat graue damnum foreſti dominus ſentire debet, quod ferae ſubditorum ipſius induſtriam praeueniant, noctuque glandes caducas, quodque fructuum inueniunt, praeſertim ſi numeroſae ſint, depaſcantur.

1.) De Venat. C. 8, n. 34.

2.) ERTEL obſ. ill. iur. equ. cit. obſ. XII. et BECKIUS de Iuriſd. for. C. 8. §. 4. vbi reſponſum Facult. iurid. Vitemberg. pro noſtra ſententia adducit.

3.) Im Jagd und Forſtrecht P. II. p. 25.

4.) In Comment. ad Inſt. L. II. T. I. ad §. 12. et 13. n. 278.

Digitized by Google

§. XX.

Ex iis, quae hactenus ſtabiliui, prono fluit alueo, quod dominus venationis non plures fouere queat feras, quam quibus alendis ſilua ſufficiens eſt. Excreſcente enim illarum multitudine domino ſiluae circa fructus ſilueſtres, quos, quia gramina non ſuppetunt, noctuque diuque depaſcuntur, maximum infertur damnum, quod quam iniquum ſit, ſupra indicaui. Quid ſi etiam pauliſper concedam, recte in hac materia HARPPRECHTVM ſentire, (quod tamen concedere neutiquam datum eſt,) qui reſiduum fructuum ex ferarum paſtu, domini foreſti vſibus largitur; certe ex hoc ipſo robur quoddam theſi noſtrae accedet. Nonne enim iuxta hanc quoque ſententiam, proprietarii commodis alias adeo contrariam, moderatus pro ratione ſiluae ſupponendus eſt beſtiarum numerus; quia excedente ferarum copia, foreſti domino vix ac ne vix quidem ex fructibus quid relinqueretur, et ſic ius circa glandes iniuſte admodum illi interciperetur.

§. XXI.

Quod ſi ergo ferae in ſilua ſua ſibi nutrimenta quaerere debeant; ita quidem, vt etiam dominus foreſti nullam ratione fructuum ſilveſtrium patiatur iacturam; ſequitur, quod eo minus adeo ſtudioſe dominus venationis illas conſeruare poſſit, vt, deficiente victu ſufficiente, extra ſiluam fame coactae erumpant, et agros, prata, hortos vineasque ſubditorum domini foreſti depopulentur, hisque ſpem vitam ſuſtentandi intercipiant omnem. Sane intra ſiluam

ferae

ferae ſunt banniendae, illique tamquam glebae ſunt adſtrictae; eo vſque, vt ne quidem in agris ceſſantibus, Brach-Aeckern, ius radicatum circa pabulum habeant, ſi agricolae ſtipulis ad pabula pecorum indigeant ipſi. Proniſſima hinc eſt conſequentia, quod ferae ſuperfluae, quas ſilua nouerca non tolerat, ſingulis annis aut bienniis, relictis ſolum iis quae ad conſeruandam venationem ſunt neceſſariae, capi debeant atque occidi. Prouti in Summo Iudicio Imperiali Aulico die 6. April. 1717. in cauſſa derer Späthen von Zwyfalten contra Hohenzollern-Hechingen iudicatum eſt: Daß der Herr Fürſt von Hohenzollern ſeinen Jhme zu Neuffra zuſtändigen Wildbann wiederum in ſeine alte Schranken ſetzen, die hierinnen eingeklagte Späthiſche Beſchwerden und extenſionen gänzlich abſtellen, hingegen eine beſtändige Milderung, hauptſächlich durch genugſame Wegſchieſſung des vielen Gewilds und Abhaltung von denen ſowol Späthiſch Herrſchaftlichen als Unterthanen Gütern und Gründen veranſtalten, darüber auch die gebettene Cautionem ſufficientem de parendo praeſtiren ſolle, damit nicht nöthig ſey, die ebenfalls gebettene oder andere zulängliche Gegen-Mittel zu verordnen. Porro: Wann Späthiſcher Seiten eine glaubwürdige Specification der ihnen zugefügten Schäden wird eingebracht werden, ſo folget hierinnfalls ferner was Rechtens. 1.)

1.) Conf. RICCIVS cit. libr. c. 9. §. 19.

§. XXII.

Nec eſt, cur ad poſſeſſionem in nociua eiuſmodi

mittitur abuſus, vt neque vetuſtiſſima conſuetudine, tanquam publicae vtilitati noxia, obtineri, neque praeſcriptione, tamquam aeterni iuris principiis contraria, induci queat. Ipſe profecto territorii dominus hac lege non ſolutus eſt, nec ipſi in propriorum ſubditorum bona per feras adeo multiplicatas graſſari, ſine damni reſarcitione, datum eſt; 1.) quo magis ergo illi, cui infirmiori iure et ſaltem per modum ſeruitutis in alieno venatio competit, ab iniqua eiusmodi et oneroſiſſima iuris huius extenſione erit abſtinendum? Ad incitas quippe miſeri agrorum poſſeſſores redigerentur, ſi feris erumpentibus ſegetes conculcare, fructus comedere, prata depopulari, hortos deuaſtare, vineisque exitium inferre impune liceret; praeſertim iis in locis, vbi ob ſteriles parcosque agrorum reditus homines aegre vitam ſuſtentare, nedum pecora ad agrorum culturam resque oeconomicas ſumme neceſſaria, poſſunt nutrire. Non dicam, quantum respublica inde capiat detrimentum. Vnde enim, quaeſo, tributorum onera ſubditi ſoluent, vnde cenſus, vnde canones praeſtabunt, ſi media, ex quibus praeſtantur, iniuſtiſſima ratione per tertium illis adimantur? Tandem inter omnes conſtat, venationem inter alias rationes, praecipue etiam ob fauorem et promotionem agriculturae, ne ſcil. ruſtici ab agrorum cultura his otiis abducerentur, priuatis eſſe ademtam, et ad principis regalia relatam; luctuoſum autem eſſet beneficium, ſi, quod in fauorem agriculturae adeo priuilegiatae eſt introductum, nunc per nociuam ferarum conſeruationem in deterrimum eius odium et fatale plane exitium detorqueretur.

1.) BECK lib. c. C. 15. §. 3.

§. XXIII.

§. XXIII.

Quapropter ſi dominus venationis, ſpretis ponderoſiſſimis hiſce rationibus, nihilominus via facti procedat, indiesque ferarum numerum excreſcere iubeat; ſubditis domini foreſti pariter defenſio via facti non poteſt non eſſe conceſſa. 1.) Poſſunt igitur beſtias ſegetibus adeo nocentes, clamoribus, moloſſorum latratu, bombardarum ſonitu, aliisque quae ingenioſa neceſſitas ſuppeditat, remediis fugare, agrosque fructusque tueri et ab exitio liberare. Si vero adeo manſuetae beſtiae ſint factae, vt omnia haec terriculamenta, tamquam vana ſpernant, nullaque ratione arceri queant, tunc omnino, ſi dominus venationis terque quaterque ſub adiuncta occiſionis comminatione, monitus atque rogatus, nullam malo adferat medelam, ipſam ferarum occiſionem miſeris agricolis in neceſſario defenſionis ſtatu permiſſam eſſe, recte KLOCKIVS ſtatuit. 2.) Quum enim ipſos homines vitae noſtrae inſultantes, ſub terminis habilibus, occidere iura permittant; eo magis bruta animalia, ſi media viuendi, hinc ipſam vitam, quod horrendum dictu, nobis rapiunt, interficere licebit. Vbi tamen hoc etiam notandum, quod ferae ita occiſae domino venationis relinquendae ſint atque reſtituendae. 3.)

1.) THOMAS MERCKELBACH apud KLOCKIVM P. I. Conſ. 30. n. 1.

2.) IDEM Conſ. 30. n. 1. vbi hoc dedit conſilium: Es ergiebt ſich

und Wieſen dermaſſen depopulando zuſetzt, impune zu fällen und zu erſchieſſen, zugelaſſen.

3) B. Dn. HILDEBRANDVS in Diſſ. de Conſeruatione ferarum nociua, §. 21. et 22. vbi, quae modo afferui, reſponſo Illuſtris Facultatis Iuridicae in hac Academia, confirmat.

§. XXIV.

Aſt enim vero, ſi nimium multiplicatus eſt ferarum numerus, ne quidem per occiſionem ferarum, fructuum deuaſtationem auertere poterunt agricolae. Et tunc vltimum oneroſiſſimum quidem illud tamen tutiſſimum ſupereſt defenſionis remedium, vt nempe ſepimentis agros muniant, ſicque, hoc obice poſito, feris ingreſſum intercludant. 1.) Hoc ſepiendi ius quum merae facultatis res ſit, ſaluum ſemper ac integrum manet foreſti domino, ita vt nulli vmquam ſubeſſe praeſcriptioni, ſed quocumque placuerit tempore, exerceri queat. Tum igitur ipſa iuſtitia vel maxime hanc circumſeptionem commendabit, ſi dominus foreſti eo tempore, quo luctuoſiſſimum ſubditorum bonis imminet exitium, ſumtuoſo hocce remedio ad maius malum auertendum vtatur, et ſepimenta campeſtria pro conſeruandis miſerabilium agricolarum alimentis, exſtrui curet. Quamuis autem bonorum tuitio contra aliorum damna atque iniurias omnibus omni ratione permiſſa ſit; ita tamen haec defenſio temperanda eſt, ne is, contra quem inſtituitur, quoad eius fieri poteſt, detrimentum ex illa ſentiat atque iacturam. Poteſt igitur foreſti dominus ſepimentis quidem altis agros munire, demiſſa enim beſtiarum ferocitati ludibrio ſunt, palos autem in extremitate acutos tamquam peri-

periculoſos exſtruere non conceſſum eſt ; ne hac ratione inſidiae feris ſtruantur , illaeque palis inſilientes transfigantur. 2.)

1.) THOM. MERCKELB. ap. KLOCK. in V. I. C. 30. reſol. quintae quaeſt.

2.) KHRAISSER de Venatione Cap. 20.

§. XXV.

Variis quidem inſultibus haec ſepimenta venationum praefecti , quibus ſudes in oculis ſunt , euellere conantur , verum adeo imbecilles ſunt , vt illis non obſtantibus immotae ſepes quieſcant. Tacebo illorum argumentum , qui per eiusmodi circumſeptionem largiorem pinguioremque paſtum feris adimi querulantur ; quia ſupra iam hanc principii petitionem notaui , vbi feris vnice in ſilua victum competere, latius ſum proſequutus. Nec eo quis procedet audaciae, vt hominum alimentis ferarum paſtum , quae tamen ipſae noſtris vſibus inſervire debent , anteponat. Splendidius illi iuſurgere contra nos videntur , qui remoras atque impedimenta ferarum perſequutioni , der Jagdfolge , hiſce ſepimentis obiici , ſibi perſuadent. Aſt ſalua res eſt. Quum enim ſequela haec venatoria ſit facultas feram vulneratam ex noſtro territorio in vicinum fugientem perſequendi et deprehenſam occupandi ; ſequitur , quod illa nemini ſine praeuia conceſſione licere queat ; quia ſine ſpeciali titulo alteri in alieno nil iuris perfecti competit.
Quare inſtar ipſius venationis in alieno , non

Digitized by Google

Auguſtiſs. Iudicii Aulici, 1.) quod vult, vt ſtatus imperii, qui in alterius ſtatus territorio ſequelam praetendit, etiam huic reciproce id iuris in ſuo ex aequitate largiri debeat. Huic aliud iungendum eſt eiusdem Summi Iudicii Concluſum in cauſſa Stollberg contra Herrn Landgrafen zu Heſſen-Darmſtadt ſub dat. 6. Aug. 1717. 2.) docens, quod ſtatus alterius territorii domino huius ſequelae vſum iuſte poſſit interdicere. Nunc autem obiiciunt, quod conceſſo iure venandi etiam ſequela cum illo connexa ſimul conceſſa intelligi debeat. Verum diuerſa haec plane eſſe iura, nec a venatione in alieno competente, quia ſeruitutes ſtrictiſſimam admittunt interpretationem, ad ſequelam competentem concludi poſſe, et ipſa res docet, et Excell. Dn. Rays 3.) eleganter demonſtrat. Vtraque ergo, quia ſpecies ſeruitutis ſunt, non niſi ſingulari titulo quaeſita in alieno poteſt exerceri. Immo ſi etiam reuera ſequela haec alteri ſimul competeret, hoc tamen non obſtante dominum ſeruientis territorii agros ſepimentis munire poſſe, firmiter ſtatuo. Nec enim in domini venationis praeiudicium, ſed ſummum potius fauorem id tendit, quia eo ipſo venaturus tutus eſt, quod ferae vulneratae diſtrictum venatorium, cui per ſepimenta haec incluſae ſunt, non amplius egredi, et ſic longe faciliori negotio capi queant.

1.) V. Tom. V. Concluſ. Iud. Aul. p. 591. ſeq.

2.) Tom. V. C. I. A. p. 592. Conf. omnino Dn. STISSER lib. cit. Cap. VII. §. 43. ſeq. et in append. Lit. O.

3.) in Diſſ. de ferarum perſequutione in territorio alieno, vulgo Jagd-Folge, Gieſſae, 1738.

§. XXVI.

§. XXVI.

Nec deſunt remedia iudicialia, adverſus venantem, qui ita ſolicite feras in detrimentum agrorum conſeruat, competentia. Quibus quidem enumerandis eo lubentius ſuperſedeo, quo latius B. HILDEBRANDVS 1.) illa recenſuit. Imprimis autem ob irreparabile damnum quod ſubditis per deuaſtationem ferae minantur, Mandata ſine Clauſula 2.) vel de non vaſtandis agris illorumque fructibus per feras; vel de praecauendo damno in poſterum inferendo, et de non turbando in defenſione contra feras licite ſuſcipienda, hinc etiam de non deſtruendo ſepimento campeſtri, extrahi poſſunt ab agrorum poſſeſſoribus. Ad damnum autem iamiam datum quod attinet, ad illius omnimodam reſtitutionem venantem perfecte obſtrictum eſſe, et Concluſum §. XXI. adductum verb. fin. docet, et naturalis aequitas demonſtrat. 3) Nec ſola damni reſarcitio rem conficit; ſed cautione etiam de non amplius turbando interpoſita, ſecuros reddere agrorum poſſeſſores dominus venationis tenetur. Huic tandem ſi nulla ratione ſtare velit, nulliſque neque iudicialibus neque extraiudicialibus remediis ad minuendum ferarum numerum adigi poſſit, ipſo iure ſuo venandi, propter inſignem plane abuſum poterit priuari, quum qui iure ſibi indulto abutitur, recte illud amittere mereatur 4.)

1.) in Diſſ. de Conſeru. fer. noc. §. 12. etc.

2.) MERCKELBACH ap. KLOCK. V. I. C.

§. XXVII.

Altius progrederer, ni et illuſtris materiae grauitas, et virium imbecillitas timidiori genio id denegaret. Nec enim ab initio ſtatim, omne hoc argumentum exhaurire, ſed primas ſolum eius ducere lineas, animus fuit; vt ſcil. poſt feliciter nunc ſuperata examina quid eſſet, quo arena mihi ſubeunda poſſet inſtrui. Ceterum ex iis, quae hactenus ſubmiſſa animi modeſtia, qua quidem in enucleandis ſublimioribus Summorum Statuum iuribus incedere debemus, deduxi, ſatis ſuperque conſtabit, id vnice me egiſſe, vt et domino territorii atque foreſti ſua proprietatis, et domino venationis ſua ſeruitutis iura, ſalua maneant ac illibata.

A61147 2575

Digitized by Google